

**Disputatio physiologico-medico-practica inauguralis de mirabili ratione
qua humanum corpus a morbis liberetur ... / ex auctoritate ... Petri
Burmanni, ... eruditorum examini submittit Cornelius van Noemer.**

Contributors

Noemer, Cornelius van.
Burman, Pieter, 1668-1741.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Balduinum Janssonium vander Aa, M D CCXIX.
[1719]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yqvzey9f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICO-
PRACTICA INAUGURALIS

D E

Miribili ratione qua humanum corpus
a morbis liberetur.

Q U A M

ANNUENTE DEO OPT. MAX.

Ex Autoritate Magnifici Rectoris,

D. D. PETRI BURMANNI, J.U.D.
HISTORIARUM, ELOQUENTIÆ, GRÆCÆ LINGUÆ
ET HISTORIÆ FOEDERATI BELGII
PROFESSORIS ORDINARII.

N E C N O N

Amplissimi SENATUS Academici Consensu, & Nobilissimae

Facultatis MEDICAE Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisquè in MEDICINA Honoribus & Priviliegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

CORNELIUS VAN NOEMER, Zirizæa Zeeland.

Ad diem 22 Augusty 1719. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud BALDUINUM JANSSONIUM VANDER A;

M D CCXIX.

D E O.
P A T R I Æ.
P A R E N T I B U S.
C O N S A N G U I N E I S.
P RÆC E P T O R I B U S.
A T Q U E.
A M I C I S.


Hanc Dissertationem omni, qua par
est, pietate & reverenti obsequio,
sesequeturum, dedicat consecratque

CORNELIUS VAN NOEMER,
Anthon.



DISPUTATIO INAUGURALIS
PHYSIOLOGICO-MEDICO-PRACTICA
DE

Miribili ratione qua humanum corpus
a morbis liberetur.



Ortalia omnia , continuis inconstantiarum
vicissitudinibus , quotidiè quasi circumvol-
vi , equidem negabit nullus , qui rerum
aliquomodo peritus , mente sua vel semel id
conceperit .

Neque , sanè , a re & instituto infiniti
Creatoris , id alienum videri : Si considerat
unicum omnium creatorum finem tantum
esse , magni Dei Gloriam ab hominibus ce-
lebrandam .

Unde & nulla nisi hæc rerum terrestrium contemplatio ali-
quomodo *realis* , atque a sapienti & unoquoque bono , sibi pro-
bè *utilis & necessaria* , haberi potest .

Quam verò pulchro , quam *mirifico* ac *divino* ubique ordine
hæccè peragantur ; attentè versanti animo in speculandis iis ,
quæ viliora vulgò habentur , ac in summis absconditisque , ap-
parebit luculentissimè .

Quis enim , quanvis summus ac pertinacissimus ATHEOS , mi-

DISPUTATIO INAUGURALIS

ram illam , artificiosam ac perfectissimam Fabricam corporis sui contemplando , cum magna ac profundissima animi admiratione , divinum ejus opificem non agnoscat ? quis , non adoret ?

Et præcipue , si intellexerit , quam prudentissime omnes ejus partes , quamque sancte , conserventur ?

Ut sæpè in abstracto singula mecum perpendens , hæsitaverim dubius , utrum corpus magis divinum , (si ita loqui liceat) an humanum vocem ?

Quippè quod , ex subtilissimis conflatum tenerimisque , ut omnem sensuum aciem cludat non modò , sed ferè ubique omnem imaginationis vim longè exsuperet , omnia tamen tam audacter peragat , nec destruatur , quounque demum momento . Adeò ut magna rationis soliditate , & rhetorico satis splendido nec vulgari stylo , exaratum esse putera illud , Psalmo 139. vers. 14. Celebro te , eò quod suspiciendis operibus istis in admirationem traducor . Celebro mirabilia opera tua . ut animadvertis elegantissime B. Nieuwentyd in Animadvers. V. §. 10. & VI. §. 3. & §. 9. &c.

Undè & in plurimis nostro ingenio manebit , insuperabilis caussarum detegendarum difficultas , & inextricabilis error .

Nihil enim , testante Verulamio , cum in ipsis rebus , tum in humano intellectu , ab omni parte beatum .

Sufficiet ergò , ea hic indagasse ac percepisse , quæ ex effectibus apparentibus , certè & accuratè cognitis , pro caussis veris deduci atque haberi possunt , & undè , inter se relatis , aliquid boni , tamen in cognoscendis quam curandis morbis , pateat .

Oλον τὸ σῶμα κυκλον εἶναι , totum corpus nostrum circulum esse : non sínè ratione dixit antiquitas jàm Hippocratica .

Unius partis interitum præcaveri ab altera ; hanc ab ea sustineri , conservari naturaliter ; persuasum mihi habeo .

Hancque solam , præter Deum , & unicam esse proximam integræ nostræ permanentiæ caussam ; hanc vero destructam , necessaria certaque mortis ; breviter & compendiosè hic probabile reddere fert animus .

Verum quandoquidem Viri in arte egregii hac in palæstra multum desudarunt , ac laude dignissimas nobilesque sibi Palmas acquisiverunt ; cumque nobis ipsis tam splendide præluxerint ,

sint, Lumina illa præclara posterioris ævi, *Malpighius Lowerus Boerhaave Nieuwentijs*: Eorum splendorem fortè hic obscuratur utique, intellectus nostri nebulis, iis immortalem hanc gloriam meritò relinquemus, qua nomina sua, inter non Evangelientia sidera, constantè Cælo quasi resplendebunt. Consideratur modo, pro ingenii juvenilis tenuitate, (quam sanè piè fateri, non erubesco.) *Quanam ratione Divino numini placuerit, in nobis conservare corpus nostrum, opprimente licet saepe morbo satis gravi, eumque repellendo quasi, ab eo multoties illud tam feliciter liberare.* Hoc est, explicare conabimur, quomodo & quibus utcunque mediis Natura vincat morbos.

Quod fit, cum totum illud aggregatum caussarum physicarum, quæ superstant ex vita adhuc presente in Homine, conspirat quocunque modo, ut tollatur impedimentum physicum in Corpore natum.

Morbum ergo hic voco, in genere, omnem illum statum physicum, in corpore humano vivente natum ex quacunque caussa, qui tollit ibi facultatem exercende actionis cujuscunque.

Itaque morbos quidem commodissimè hic distingui debere putto, in tres classes. Vel enim terminantur omni indicio in mortem, eamque totius vel partis singularis: si caussa morbi longe efficacior caussa vitæ. Vel in Alium morbum: si caussa vitæ morbique inter se adæquant ferè efficacia. De his ergò agere non est hic intentio.

Ut igitur proposito nostro satisfiat, tertiam tantum considerabimus classem, continentem Historiam quasi & pertractionem illorum morborum utcunque, qui in sanitatem terminantur: *Dum caussa vitæ in agro, longè efficacior quam caussa morbi.*

Adeò ut hic concipiamus quasi duos exercitus, in mutuos conflictus acerrimasque cædes, omni Virium impetu & conamine ruentes, debachantesque ita in se mutuò, ut alter integrum plenamque victoriam adipiscatur; vel uterque profligetur sumnoperè, durante tamen adhuc quam pertinacissimè belli caussa, nec sedato ejus impetu.

Ita ergò comparatam esse machinam Corporis Humanæ consideramus, ut intra se ipsam, omni moliatur ubique studio ac ratione conservationem sui.

Ergo Nescivs Quæcias intpoli Hippocrat. Morbis natura medentur.

DISPUTATIO INAUGURALIS

Juxta definitionem supra datam. Est hoc illud quod ab antiquis
 Φύσις κρείσσων, *Natura Fortior*, prævalens, dictum fuit. Est hæc
 illa *Melior Natura*, litem dirimens inter morbificum salutiferum-
 que, ut Pax salutaris concilietur, hoc est, *Sanitas*. Quæ proin-
 de consistit in illibata omnium actionum vitalium, naturalium,
animalium integritate. & facili mobilitate atque exercitatione ea-
 rundem, cum oblectamento & quadam constantia.

Ordo quidem in hisce pertractandis optimus videtur, si prius
 demonstrare conemur, quomodo corpus humanum sibi caveat in
 morbis, quatenus unitum quasi sit menti vel animæ; dein quatenus
 corpus, qua corpus vivens, morbos debellat ac felicissime aver-
 sat.

Supponenda h̄ic erit ubique quidem corporis humani certa &
 distincta cognitio, tam in fluidis quam in solidis; quia & bre-
 vitati studemus, omniaque in genere ferè tantum pertractabi-
 mus.

Et quoniam DOLOR, in omni quidem morbo, videtur *univer-*
sale & naturale quasi medium esse conservandi corporis nostri;
 quid ille sit, prius videamus.

Si inter res creatas quidpiam, profecto, mirabilitate excellit, erit
DOLORIS PERCEPTIO: quæ *nexus illum jugalem ac socium*,
 inter mentem & corpus, tam clarè manifestat. Non enim cor-
 pus nostrum ex se hanc facultatem possidet: quoniam repugnat
 naturæ communi omnium corporum, diversæ planè, tam in A-
 ctionibus quam in passionibus, a natura mentis: (unde in ipso
 Animi deliquio, Apoplexia, Epilepsia perfecta, &c. nullus alicui
 dolor animadvertisit.) Verum si quid hactenus animos summo-
 rum virorum extorserit; si quid magis inexplicabile præ cæ-
 teris; illud hujus est *Nexus accurata solutio*.

Sufficiet tamen h̄ic loci ex hisce cognovisse, *Mentem Huma-*
niam hac facultate præditam esse *solam*; Sed *corpore existente ut*
medio. Si rogas, quid sit *Dolor propriæ in mente?* Provoco ad
 te ipsum, & quidem dum doles: nam si nunquam doluisti,
 impossibile erit tibi explicare idem doloris; Imò, si jam non do-
 les, non poteris etiam hoc momento tibi imaginari doloris sen-
 sum, quidquid tentes.

Quatenus tamen ejus causa, in corpore nata, mentem affi-
 cit

PHYSIOLÓGICO-MEDICO-PRACTICA.

7

cit, in genere cum h̄ic definio esse, perceptionem vel sensum omnem ingrati ac molesti.

Verum quomodo dolor in homine oriatur cui nunquam dolor fuit, & quanam ratione corpus nostrum in excitanda hac perceptione mutetur, videamus.

Nullam fieri inter corpus & mentem communicationem, quoad sensus motusque, nisi per nervos; innumerabilibus experimentis, tam in brutis viventibus captis incisisque, quam in hominibus, organica partium structura, casu, morbis, observatis & comparatis utcunque, pro demonstratio physico clarissimo certissimoque, assumpsit omnis hujus ævi doctrina medica.

Est autem nervus visibilis quicunque, fasciculus minimorum nervorum, membranulis nexorum, arteriolis, venuulis, lymphaticis, intertextorum, una communi membrana vestitus, liquorem hisce suis canalibus proprium a corde, cerebro, cerebello, & medulla spinali, perpetuo transmittens, inque omnibus his vi contractili semper satis magna gaudens.

Huc nunc referatur regula ut sensibilia, sic insensibilia in humano corpore: sunt enim ibi nervi ubique.

Sic rem illam intricatissimam obscurèque latentem, injectiōnibus, microscopii, ratiociniis exactissimis, detexerunt, Rhyschius, Leenwenhoekius, Boerhaave; viri, indefessi agendo.

Nervi tamen distinguuntur in duplices. Sunt enim qui vitalitati, sunt qui animalitati inserviunt. Hi ultimò a cerebro, illi a cerebello, originem nanciscuntur. Namque in quovis animali vivo, a momento quo cortex cerebri comprimi incipit, ita ut simul comprimatur & obstruatur medulla, a quacunque demum causa, statim incipit dormitire, dormire, stertere animal; omnes ipsi obtundi atque desinere sensus, tam interni quam externi, sic & motus voluntarii, tandemque omnes musculi flacci di & paralytici fieri, incipiunt; ut in somno plenissimo ac apoplexia perfecta: dum tamen actiones cordis & respirationis, non modo non imminuuntur, sed & fortiores, æquabiores & pleniores fiunt. Itidem exsector cerebro, illaso cerebello, permanere adhuc utique eos motus, docuit Cl. du Verneyus, experimento facto. Verum si cerebellum comprimebatur vel excidebatur, libero licet cerebro, statim desinebat omnis pulsus & respiratio; sicque

DISPUTATIO INAUGURALIS

Sicque brevi vitam cum morte commutabat miserum animal.
Similia in hominibus observavere practici.

Hisce, aliisque similibus rationibus innixus atque confidens, Puto, cerebrum esse quasi fontem animalitatis, (ut sic dicam.) Cerebellum verò vitalitatis. Proinde alios esse nervos, à quibus commercium dependet corporis cum mente; alios esse, a quibus, vel ut proxima, vel ut remotiori caussa, fit, ut illud perdurare possit. Ergo in nervis animalibus vel cerebro propriis, erit Facultas recipiendi mutationes ab rebus externis, earumque effectus deferendi ad sensorium commune, unde & tunc idea doloris excitari poterit; non itidem in nervis vitalibus, seu cerebello dicatis.

At qui tamen sit, ut & partes illæ sentiant ac moveantur, quæ nervos accipiunt non directè a cerebro, sed a medulla spinali vel continuato cerebello? Dico, quod spinalis medulla sit tantum propagatio medullæ oblongatæ, atque hæc tam cerebro quam cerebello originem debeat: adeoque ex dictis constat, eas partes non sentire quatenus nervos a cerebello, sed quatenus nervos ultimò a cerebro ortos, simulque procedentes, exorrectos & explicatos, possideant.

Quomodo nunc, & quanam fiat mutatio, pro varia perceptione mentis, varia, non facile quis dixerit. An pendeat in genere ab motu nervosi liquidi, continuò cuicunque ferè plagæ corporis æquabilitè & plenè distribuendi, & quidem cerebroſi, impedito, compressione quadam vel irritatione, & hinc simul elongatione & tensione utcunque insueta, fibrillarum nervosarum? adeoque dolor, a tensione plus aucta?

Responsuero sane obscura satis occurrit difficultas.

Nihilominus, videtur id ut probabile assumi posse; respondentibus huic multis in corpore phænomenis, captaque in bruis experimentorum satis longè protensa serie.

Parvus enim dolor est tantum titillatio quædam & pruritus: si minor sit non amplius dolor vocatur sed est tantum sensatio quædam (ut sic vocem.) Ergo dolor magnus, a titillatione & pruritu, tantum differt, majori minorique nervi tensione & distractione. Res patet clarè in caballo, utpotè qui turgente cœstro venereo summa ducitur voluptate; at cum ferè deferuit nunc libi-

*libidinis æstus, emissio semine, si statim tensi adhuc Priapi anter-
riora tantum leviter attigeris, animal ferè furit præ dolore &
convellitur. Adeo ut summa titillationis voluptas, diu percepta,
vel aucta, transeat tandem in dolorem satis magnum. Quæ ra-
tio videtur esse, undè omnis titillatio ac pruritus mentem quasi
extrahunt corpori, & eam ultimò quasi obtundunt. Hinc fortè
*omnis perceptionis causa externa erit in nervis quadam Elongatio vel
tensio utcunque major, in genere, a quacunque tunc causâ pro-
ducta.* Et quoniam omnis validior hīc tantum actio in mente sui
ideam excitat, cæterasque debiliores impedit ne percipientur;
ratio non obscura colligitur inde, quare Cæcus ille Amersfur-
tensis qui, ad colores usque, omnia tam distinctè tactu discer-
nere valebat, auremque musicam tam accuratam habebat, ut
ipsi nemo par esset, *jejonus, epotus* tantum vel unicum poculum
vini, aut modico tantum usus *cibo*, nil ferè distinguere poter-
rat; dum scilicet sistema nervorum, mobilissimum hīc & ma-
ximè irritabile, in vasis præcipue sanguiferis intertextis, vino
ciboque nimis turgidum factum erat, & proinde jam *impedimen-
tum* quoddam vel *perturbatio* in cerebro vel nervis obtinebat.
Undè fortè aliquid probabile statui posse videtur de *accuratori*,
qua præstat unus præ aliо, perceptione rerum externalium. Cui
& *Callositas* quedam pro causâ secunda adjungi posset, in iis
qui minus acutè afficiuntur a pari actione subjectorum. Patet in-
de etiam quarè nimis assuetus bibendo *materiem Alcoholis*, vino
vel aquis stillatitiis permisti, *tremebundus* tandem *obstupescat* sen-
sibus, iisque percipiundis quasi ineptus evadat, nisi prius eos
excitaverit per similes potus; ut & cur *senibus naturaliter* per-
eant facultates percipiendi, in *organis præcipue visoriis, audi-
toriis, tactusque*.*

*Quantum vero ad dolorem. Irritato, distenso, diu vel nimis,
puncto vel secto nervo definito, a quacunque causa, semper doloris
oritur idea.*

Hinc, primò, penis Caballi dolebat tam immaniter, nervis
integrissimis scilicet quia illi, in *erectione* admodum tensi & nudi fe-
rè adhuc jacentes in glande penis, ut fit tempore rigiditatis,
(ex observato Rhuyschiano) nunc immediatè afficerentur a cau-
sa, coeteris paribus, asperiori.

Eadem ratione fit in lingua. Si multum V. G. de ribesuis, uvis, moris, licet satis maturis ac *suave fragrantibus* comedis, tandem lingua exasperabitur, ac si gustando manducandoque pergeris, quæ fragrantiae stimulo, nervos ex vaginis suis prolicetos gratè anteà afficiebant, cerebrumque exhilarabant, ipsa illa virtute nunc *dolorem* excitabunt satis *asperum*. Ità nunc a qua cunque ferè partium *frictione*, diu satis tolerata, licet levissima, fieri solet; *irritatis nervulis inflammatione* quadam suarum vaginalium, vel tunicarum vasorum nervosarum.

Secundò. Si nervus vel fibra nervosa, cerebro orta, extenditur adeo ut *dissolutionem* minitetur, in causa doloris est; sive nervus sit *integer* in se, vel *solutus* in quibusdam fibris, quo effectus contractilitatis propriæ pro ratione solutarum, in fibris adhuc cohærentibus augeatur. Si animali vivo juniori, nervum *Cruralem* propè inguina vel quemcunque alium *animalem* (juxta definitionem nostram,) accuratè detegis, non multum laedendo partes incidendas, cautusque circa nimiam haemorrhogiam, atque funis vel vittæ parvæ specie facta, ex gossypio oleo imbuto, transmissaque sub libero nervo, commissisque extremitatibus eum elevas parum ut aliquantum extendatur, animal statim ejulare, vociferari, &c, si ipsum distendis magis, agitare corpus, luctari fortiter, incipit, atque ultimò miserrimè convelli. Si verò acutissimo scalpello unico nunc ictu nervum illum abscindis, silentio statim profundo percellitur animal, sublato dolore, quietumque sed defatigatum jacet: dum interim paralytica & mortua manet, per totam vitam, pars inferior cui ille nervus distribuebatur. Verum si nunc *ramulus* ex hoc nervo exortus, intra cerebrum & locum abscissum hæreat, non *dissolutus*, brevi post ille etiam doloris cauſa afficitur, *aucta tensione in hoc ramo*, pro dissolutione inferiorum ramorum, & minori, qua nunc pars superior gaudet, resistentia: Hinc *Dolor iterum novus* excitatur similis, qui cessat disrupto iterum nervo, vel majori nunc tensioni, utcunque tamen adhuc relaxatae, assuefacto. Eadem nunc ratione res se habet in nervo similitè *puncto vel secto*.

Horum ergò omnium quidem dolorum cauſæ revocari possunt in genere, ad *Tensionem majorem* in nervo factam, habita ratione teneritudinis, callositatis, variæque quasi sensilitatis ejusdem.

In-

Intelligitur hinc , quarè a compressio nervo , oriatur sensus gravitatis & pulsus in parte : ut sœpè fit, si pedem vel crutum aliquamdiu , vectis instar , supra quoddam hypomochlion ponis ; & quarè liberato nunc nervo , oriatur Dolor ille punctorius ? Cur nullus Dolor ferè tam atrox & magis periculosus , quam qui punctura lœdente nervos frequentissimos , sed tenuissimo fabrica , sub unguibus collectos , explicatos , iisque irradicatos , excitetur ? Item cur in stricta podagra Italorum , est summus Dolor ? Quamobrem tam sevi dolores ac tormenta iis , quos Carnifex , extendendo , distorquendo partes , excruciat ? Quare doloris caussa frequentior plerunque , atque acerbior , in strictis quam in luxis corporibus , & difficultius discutienda ? Unde , ut in Politicis , violenta imperia nemo diu retinet ; simile hic valeat Axioma , Dolor summus , brevis atque æquabilior , & contra , in eadem parte ? Quænam sit ratio paralyticus stuporisque in partibus ? Estne caussa Convulsionis & spasmi , liquidi nervosi fortis vel & diuturna , per nervos in musculum influxus ?

Unde & in medicina docemur . Partem dolentem adhuc cohærere in nervis . Sensorium commune adhuc persistare in suo munere . Nullum dolorem , post paullò ante prægressum dolorem atrocem , indicium esse destructionis totius vel partis . Quæ , cum aliis indè derivandis , cognovisse in praxi multum juvant .

Ex quibus omnibus concludo Dolorem , vigilem in nobis ac fidelissimum esse custodem , nunciamque sincerum qui , nec fallitur , nec fallit suum herum , sed velocissimo pede , cum noxium quidpiam irruat , ipsum de presenti periculo , admonet .

Dolor ergo non est destructor Corporis , sed cautor summus ut ne destruatur . Neque enim hostem insidiis latitantem , destructionemque minantem , cognoscemus ; neque effugiendi daretur occasio occulti , quod latens in herba anguis secum fert , veneni : nisi excubitor ille expeditus ac solertissimus perpetuo nos circumstaret , atque ad minimum discriminem nos excitaret .

Estne igitur admiranda atque adoranda summoperè Conditoris nostri infinita sapientia , quod eo nos privilegio benefico simul donare placuerit , quo Dolere possimus ?

Sed neque hæc sola sunt in hisce , quibus se manifestat quotidie Divisa illa bonitas erga nos . Sunt enim & alia in nobis mirificæ

providentiae effecta; sed indaginis abstrusæ sæpiusque intimè prætervisa medicis. Namque hac nunc facultate nos præditos esse, non sufficeret; quippè qui *miserrimi tamen* inter perpetuos doloris cruciatus, jaceremus nobismet commissi, dum interim nulla ferè fere ostentaret sublevandi spes. Hinc sapiens ille conditor, simul cum idea doloris natu, dedit in nobis quasi *impetum & conatum quendam eam evitandi, amovendi, curandi, sublevandi, sanandi in corpore;* Dedit & *media varia* quibus id effici queat, tam interna quam externa. Adeo ut idea doloris præsens vel impedimentum quocunque in corpore natum, juncta sint *fuga* corundem, cum conatu quasi acquirendorum salubrium.

Quam quidem dispositionem natam in nobis **INSTINCTUM NATURALEM** vocare convenit non immerito. Qui est *Lex inviolabilis, cui omnia hic in nobis ab infinito Deo creata, ita obediunt, ut respectu naturæ suæ (non verò respectu Dei,) ea cuncta iusto ordine atque immutabilitè fiant.*

Hunc ergò instinctum triplicem invenimus.

MENTALEM; quo fugimus mala & bona concupimus: Qui quidem sempèr in nobis adest, maximèque nos præservat ab innumeris malis, inque iis temperandis operatur. **AUTOMATICO**; quo *Corpus, qua Corpus vivens se ipsum moderatur, præservat ac juvat.* Denique **COMPOSITUM** ex hisce binis, se invicè mirè adjuvantibus. *Priorem utique hic revolvere, esset sanè medicas limites in hac dissertatione nimis excedere. Quantum tamèn in morbis valeat, junctus Corporis Automatico motu, in medium proferre suadet materies.*

Definitio *Morbi* in genere data est, ut & doloris sensationisque; adeoque nunc tutò & facilius progredi datur.

Inter ea itaque quæ *Conservationi nostræ in morbis prospiciunt*, quatenus mens cum corpore juncta spontaneo impulsu quodam eō fertur, non inter minus memorabilia duco SCALPSIONEM A PRURITU; Quam voco, reciprocam & successivam compressionem levem, & relaxationem indè subsequentem, vasorum arteriosorum cutaneorum, in genere aliquantum inflammatorum vel obstructorum a caussa quavis, factam per corpus ita meum.

Agnoscit ergò caussas & remedia inflammationis leviusculæ in praxi

praxi medica ; quæ optimè curatur *Resolvendo*. Sed *Scalpso* quid efficit in corpore ? Aperturam majorem exhalantium oscularum, aliquantum ea distrahendo ; externam diastoles & systoles causam, in subjectis vasculis ; repulsionem, agitationem, allisionem ad sua vasa, alternam, liquidorum ; vim majorem contractilem in vasculorum fibris ; attritum ab omni parte inter liquida auctum : *Attenuationem præcipue summam obstruentis materiae*.

Accedit Scalpsioni, quod semper feruntur homines, ut statim huic loco *liquorem aquosum frigiduscum minime acrem applicent* ; & hinc lambendo partem, madefactandoque saliva oris, perspiratio conciliatur magis libera obstructis fortè extremis exhalantium sordido viscido ; laxitas vasculis, atque facilior dilatatio ab impulsu liquidi transmittendi ; dolori, qui adest, lenimen, calorique simul ; *transmissio materiae obstruenti* : commodissima itaque & optima fit *Resolutio*.

Undè *remedia* satis commoda innotescunt pro inflammatione levi externa & pruritu, curandis, quatenus resolutio requiratur: habito tamen respectu sempè ad circumstantias; namque *ubi scabies, morbilli, variolæ, ibi non scalendum*, quamvis pruritum natura excitat, ac si vellet admonere eadem esse adhibenda. Quod omni ratione hīc loci atque ubique distingui in sequentibus debet summoperè. Neque interim *culpanda Natura*, quoniam *eadem & hīc suadet optima*, sed magis intricata, & in quibusdam quasi contraria apparentia, pro malo fortè inseparabilis vel comitante alio hīc extricando simul, quod aliter fieri non posset. (ut luculentius evadebit posteà.)

Quæ quidem confirmat regula *Hippocratica & Galenica*, contra quam *Paracelsus & Helmontius*, CONTRARIA CONTRARIIS TOLLUNTUR, sed actis non semper, verum sèpè potentia, nunquam similibus.

Hæcque est ratio cur MEDICI instinctus hosie naturales vel neglexere, vel negavere tales, & ad morbos curandos non retulerunt.

Ut hæc magis externæ, ita & ejusmodi INFLAMMATIONICULÆ INTERNÆ *resolvendo* similiter sanantur, uti EG. fit in Torpore vel Peripneumonia levi &c. Quibus quidem præcipue conducunt SUSPIRIA. Est autem susp

rium subita & profunda inspiratio & expiratio subsequens, semel facta.

Quid verò de hisce in Corpore observetur, videamus.

Primò quidem suspiria sempèr & constanti lege excitantur in homine sano, quarta vel quinta circiter hora post lantas commissationes, quum materia chylofa scilicet crassa, cruda, viscidiorque adhuc, primo jām per pulmonalium arteriarum angustias transibit. Citius & minus, si interim se movit homo, deambulando, ludendo, laborando &c. Eadem actio excitatur, si cani vivo sanoque per venam lac injicitur. Uti & in *crisibus* febrium aliorumque morborum, dissoluta motaque materie morbi ad pulmones. 2. Suspirandi necessitas atque anxietas pectoris adest, in *teneris debilibusque corporibus*, respiratione facta utcunque quasi paralytica ad minimum ferè motum corporis; undē & delassationi citius obnoxia. Aér autē nimis *levis*, montanus, vel *rarefactus*, imprimis hic quoque suspiriorum caussa videtur. 3. In aëre *calidissimo*, *exsiccante*, *gelidissimo*, acidorum *adstringentium*, præcipue *oleosorum*, vapore aliquantulum obpresso, fumis referto terrestribus & carbonaceis. 4. In aëre *gravi*, nebuloso, *humidissimo*, obverso vento æquabili magnoque agitato. Ab *impedita aliquomodo actione diaphragmatis*, hincque explicationem pulmonum impudentis, & compressione simul descendantis *aortæ*, ortis a cibis durioribus, aut difficile digerendis, ventriculo ingestis, ibique retentis, tumefactis, expansis: unde & semper una circiter horula post prandium homines aliquoties suspirare coguntur. Vel etiam aliquando ab *impedito* utcunque *trajectu sanguinis* venosi Coeliaci & Mesenterii, per venam portarum: ut sœpè fit in anxietate febrili, & humore atrabiliario, densiori, tenaciori, huc delato. Vel denique ab materie elasticâ *ructaum* & *flatuum*. Ab inflammatione vel *tumore* fauces &c. arctante vel comprimente. Item a compressione *externa* colli, thoracis vel abdominis; vel ab horum ejusmodi *mala conformatione*. 5. Suspirat homo in animi affectibus *tristibus*, sed præcipue in iis, ubi spes aliqua læta, tristi metu suffunditur, vel aliquando contra: undē constricta, lenta & obliviousa, nunc subito excitata, vel lenissima, æquabilis & commodissima, nunc utcunque impedita, respiratio illi homini adest. Vel ubi cor debito *minus* aut *nimiris* moveat propellitque suum sanguinem. Cui quidem capiti, laborum,

cur-

cursum, omniumque acrum & stimulantum effectus in cor agentes, adjungo; cuique febrium initium, caussæque Melancholiæ & mali hypochondriaci multæ, commode annumerantur. Imò puto quod quilibet ferè animi affectus, diversam, vel saltem inordinatam & insuetam respirationem habeat: unde ex respiratione benè attendenti, multorum animi affectuum, licet utcunque dissimilatorum cognitio, comparari non incerto poterit signo. Quarè sempèr medico respiciendum in comparanda diagnosi morbi ex respiratione, ad animi affectus.

Causa ergò Suspiriorum est, vel sanguis, transmittendus per pulmones, immeabilior, vel pulmonimis utcunque debilis, contractus, compressus, aut & cor magis vel minus agitatum, cateris paribus; vel ut hæc inter se concurrunt. Adeoque ponunt sempèr speciem peripneumoniae, sive obstructionem leniorem in pulmonalium arteriarum finibus: Quoties enim sanguis incipit majori copia colligi in corde dextro, & ad initium arteriarum pulmonalium, quam pulmo sufficiens est eo momento transmittere, Natura suspiria excitat.

Ex quibus omnibus puto rationem *necessitatis* & *usus* suspiriorum satis constare, eorumque excitandorum facultatem, & aptitudinem propriam ac spontaneam quasi in nobis, non inter minima poni debere, quæ corpus nostrum mirabiliter conservent: scilicet *Naturam* hac actione quasi per prælum quoddam moliri propulsam accelerationem sanguinis per pulmonales arterias in venas pulmonales, sicque in cor sinistrum: *ut sic momentum extendentis fluidi, per pulmones circulantis, aquilibretur ibidem rite pressioni iusta aëris allabentis.* Actio enim respirationis in adultis præcipue sanguinis circulationem promovet, atque in auxilium cordis constituta est.

Hæc ut ex structura corporis & ejus constitutione, comparatis cum phænomenis naturæ, constant; sic, in hisce, multa inde deduci hic loci possunt medico convenientia, tam quoad, *signa*, quam ad *indicationes morborum*. Ut, quarè omnes morientes & dum in ipso agonis mortis hærent, adhuc omnes conatus adhibent ut sanguis, per *suspiria*, anhelitus, & jactationes corporis, pulmones & cor æquabilitè permeet; a cuius *denegato transitus* omnes, quotquot ferè sumus, morimur. aliaque similia.

Quin

Quin ex cunctis h̄ic cognoscitur ratio , cur , ut in inflammātione levi , scalpim̄us ; sic in impedito utcunq; sanguinis trajectu per pulmones , suspiramus ? & cur , ut partem verè dolentem munimus contra attac̄tum quidem omnem ; sic in pleuritide tantum metuimus vel respirationis senioris actionem ? Est enim eadem , in utroque casu , quam observat Natura , cautela .

Imò hacce ratione multas quoque alias inflammatiunculas internas reliquorum viscerum &c. Sic sponte s̄ep̄e resolvi , puto , lentissimè tamen in hepate , adjuvantibus hic imprimis corde & respirationis instrumentis aliquantum in motu auctis : quatenus sic scilicet sanguis & vasa agant ac retroagant in se invicem perpetuo , vasa vicina collidant inter se , movendo , pulsando ; dum interim omnes illæ partes satis laxæ sunt . Ità ut posita tali inflammatione , si hi motus non augerentur , ipsi non tam facilis s̄ep̄e resolutio conciliaretur , quæ nunc ferè sponte & naturaliter quasi perpetratur . Sed hæc res magis spectat motus Automaticos , unde secundæ parti hujus Dissertationis hanc evolvendam relinquimus .

Ad ea quæ corpus nostrum , conspirante Mente , conservant , & liberant ab impedimentis morbosis in corpore natis , adjungo SITIM vel inexplicable illud desiderium Potus , in genere acidus- li , vel acescentis aquosi .

Ubicunque sitis observatur , ibi ponit siccitatem in corpore , spissitudinem humorum immeabilem , calorem nimium , acre muriaticum , ammoniacum , alcalinum , aromaticum , oleosum exustum , vel & venena . Ergò ad tollendam Sitis caussam nil omnino requiritur , nisi simplicitè diluens . Verum præter aquam puram , in tota rerum natura nil diluere , convincit Ars Chemic a . Unde nulli potus diluentes sunt , nisi in quantum sunt aquosi , vel aqua : Unica observata distinctione , in corpore nostro , scilicet , si aqua materiæ diluenda misceri ritè potest . Hinc optimæ diluentia plerunque simul sunt acida saponacea .

Adeò ut natura h̄ic rursus quām accuratissimè sibi respondeat : dum acido-saponacei aquosi potus , corpori ingesti , linguam , os , palatum , fauces , cœphagum , ventriculum , imprimis , nunc exsiccata , arida , infarcita , torpida , humectant , emolliunt , laxant , eorum Vasa aperiunt , abluunt , perspirationem ibi libe-

riorem promovent; sanguinem dein optimè diluunt, dissolvunt, attenuant; omnia vasa laxant, liquidis suis transmittendis adaptant, perspirabile reddunt corpus ubique, acria illa atque salina inertia reddunt, abluunt, per urinæ vias expellunt, sanguinem depurant: Adeoque sitim in suis caussis corrigunt, sanantque, modo admodum mirifico. Nec obscurè profectò sagacissimæ & providæ Naturæ mirabilis ordo hinc perspicitur; quo ubique ferè terrarum, tempore ibi calidissimo, fructus horaos acidos saponaceos, herbasque similes & olera mollia, maxima copia illic nasci curavit.

Quid verò de appetentia potus frigidi, in ardentissimis febribus, sentiendum sit? Ex hisce comparatis cum distinctione, in fine explicatæ Scalpsionis data, satis evidens est.

Quo verò sitis est major, eo major & violentior indicatur aliqua ejus causa ex memoratis, in corpore.

Undè perspecta habetur ratio, necessitas, oportunitas sitis, & assumendi potus, ipso tempore sanitatis.

Uti nunc sitis causa ad potandum, ità & causa FAMIS, in genere, ad assumenda solidiora varia, vel liquida crassiora, inertia, sive ciborum, esculentorum, nutrientium, vel medica vi præditorum nomine, menti suadet.

Causam Famis, ut ex Physiologicis experimentis multis variisque demonstratam, in sano corpore, pono humorem illum tenuem, salsum leniter, acidum, amarumve, spiritibus divitem, in ventriculo vacuo vel jejuno undiquè receptum. Cui fortè accedit motus ventriculi proprius, quo inexpulsum aliquantum durius, tenacius, ac non penitus digestum, ad se mutuo utcunque atteritur, atque parietes ejus atterit, abradit, nervisque ejus molestiam creat. Nec non Calorem fortè majorem digestivum & irritantem arteriosi sanguinis ventriculi corpori distributi, per vasa nunc flaccidiora, laxiora, minusque compressa, majori impetu moti.

Adeoque humorem illum, quidquid mutat, temperat, inviscatque simul aliquantum, vel eundem imbibit, eidem resistit contraria vi, aut quidquid ventriculum extendit, ac replet, Famen sedare potest. Non est enim in Corpore major fere affinitas inter duas partes, vel sympathia, (ut dixerunt veteres.) quam quæ

hac ratione est, inter ventriculum & cerebrum. Imò hoc adeò verum est, ut ipse fætus, dum utero adhuc materno continetur, nescio quid non moliatur, se movendo, caloitrandoque, ubi Fame vexatur; ut experiuntur mulieres sœpe summo manè, ante pastum assumptum. Quin & hinc sœpè tam horrendæ vertigines, scotomiae, deliria, furores, *Nauseæ*, *Vomitus*, dysenteriae, convulsiones, imò apoplexiæ & mors, a noxio quodam ventriculo contento. Imò visum fuit in puella Castræ vicini Alphensium, ipsam, ab assumptis imprudentè Cicutæ aquaticæ *Gesneri* radiculis, statim similibus malis correptam fuisse; sed dato *Vomitorio*, liberatoque ab iis ventriculo, mox ipsi omnia symptomata serè simul cessasse.

Famem ergò compescunt omnes cibi edules, quorum succus nutritre simul corpus valet. Quibus anumerari possunt omnes illi succi potusque nutrientes, ut, omnis cerevisia crassa, imprimis non fermentata, omniaque farinosa, licet diluta, cocta, jus carnium &c.

Undè patet quantum boni afferet Fames, in corpore sano.

Quid verò sint, ἀνορεξία, appetitus cibi imminutus; ανορεξία, idem deletus; αποστια, abhorrens fastidium cibi; Βλάγμα, ὄρεξις κυνώδης, Fames aucta, canina vel bovina; & quid in corpore requirunt, ut tollantur; & quomodo simul a medico regantur, ex dictis non incongruè deduci poterit.

Verum est & altera Famis morbosæ in Corpore species κίσσα, μαλανία vel PICA, dicta. Quæ est appetitus vix superabilis eorum, qua in nutrimentum commutari queunt, vel eorum, qua nequitquam apta huic operi.

Cujus mali caussam observationes docuerunt esse humorem acrem prædominantem in visceribus Chylopoieticis, vel ad stomachum & intestina delatum, vix nisi insueto assumpto compescendum, circuitum cruoris mutatum, imaginationem depravatam. Undè virgines, gravidasque mulieres, imprimis, mirabilis hic affectus occupat; raro autem viri eo infestantur, nisi qui aliquando hypochondriaci.

Vix sanè enarrandum est, quamnam interdum luserit hic morbus tragediam; dum alii farinam, cretam, calcem, pulveres, arenam, carbones, picem, lapides, alii fructus austeros, insuetos

suetos penitus comedì, alii pisces crudos, salitos, aliaque absurdā, atque a consuetudine hominum alienissima, indomabili ac stupendo cum desiderio appetierunt: Iisque, ut plurimū, a malo sublati sanatique; si modò bonum regimen adhibuerant. Videantur observatores ubique.

Adeò ut hic appetitus maximam habeat convenientiam, quoad causas & effectus, quos præstat in corpore, cum desiderio Potus in Siti. (ut visum est supra.)

Undè ergò Indicatio in curando hoc malo nascitur, talia utique concedendi; dummodò hīc Natura sapientior quam Ars; (ut ait divinus senex.) *Cibus enim, qui arti non placet, sed ægro, est multò melior, quam qui medico placet & non ægro:* cum ea tamen circumspectione prudenti, ut prius satis certi simus, nūm inde sinentè & sana utcunque mente eadem appetant? Sunt enim alioqui nimis dubia & incerta: Sicque scitè & moderatè deposita res desiderata, ut in manus quasi fortè occurrat talium ægrovorum, sua ope millies sanavit, corrigendo specificè quasi, compescendo, emendando mirificè: *Natura hīc iterum monstrante viam.* Et ratio, cur plerunque in pejus indè ruant, est tantum quod homines excedant modum, nimis audacter confidentes juvamini, quod prius ab ea re acceperant: unde tunc ab usu continuato languor & Cacochymia corporis: quæ hac methodo satis certò poterant præcaveri ab eo, qui noverit, omne nimium, quamvis vel optimum quodque, in certum vitium verti; est enim τῆ φύσει πολέμιον. ut inquit Hipp.

Ut Corpus sanum permaneat, atque homo, nascentes vel nasci-turos necessario morbos, præcaveat, oportuit non modo Cibos Potusque assumat, sed & ea quæ in Corpus mutari nequeunt, deponat. Quoniam verò hīc versamur in iis, quæ, concurren-te mente nostra in nobis fiunt; hinc duæ Excretiones hic tantum tractandæ occurrunt, scilicet FÆCUM INTESTINALIUM, & URINÆ. reliquias tractabit pars secunda.

Voco excretionem, omnem superfluorum vel inutilium, a bonis in corpore separatarum, rejectionem necessariam, per loca iis a Natura constituta.

Ergò partes crassiores assūptorum, vasa lactea transire in-
eptæ, exsuffca redditæ, deorsum pulsæ ipsorum intestinorum
C 2 motu,

motu, & reliquorum viscerum ambientium actione, uti & proprio aliquantum pondere, incidunt in cellulas valvulosas, magnas, amplas, intestini Coli, ibique hærentes, pondere suo, sicciori & duriori materia, putredine acri (cujus quidem primaria causa deduci posse videtur ab *oleo quodam tenui vel urinoso liquore*, ex renibus, per Ductum a *Malpicio* inventum, huc delato, agitato, putrefatto. A cuius affluxu & infectione colorata putrida, lotio conciliata humano, *Helmontius* signum individuum desumit non præsentis Calculi in homine: Nec fortè absque verosimilitudine utique id asseruisset, si in homine hoc suum *stercus liquidum*, ad *faeces* a renibus delatum continuo, easque, licet post assumenta quæcunque acida, fatore illo singulari putrido, ac majori quam in fæcibus reliquorum animalium, inficiens, pro tali signo habuisset; atque urinam pallidam in *Calculo*, oriri ab ipsa hac materia adherente nunc utcunque extremitatibus arteriarum renalium. Ut effectus attigerit non causam; quippe circulatio-
nis ignarus.) stimulare valent & irritare membranas musculosas intestinales; tum verò molestia menti conciliata facit, ut aër, majori nunc inspiratione receptus ac retentus, rarefactus, in thorace compressus, *diaphragma* & *abdominales musculi*, magis contra-
cta, incurrente omni impetu in minus resistentem pelvem & *sphincterem*, per intestinum rectum lubricum fæces exprimant.

Simili nunc ratione, qua Ciborum Fæces inutiles, a bonis succis separatae privatæque, ex corpore eliminantur per alvum; Ita per Vesicam Urinariam a cruro nostro ejus *aqua*, *sal acer-
rimus*, *subtilissimus*, *volatilissimus*, *alcalino proximus*; *oleum acer-
rimum*, *tenuissimum*, *volatilissimum*, *putrefacto proximum*; ac ter-
ra maximè *tenuis*, *satis Volatilis*, *valde attrita*, (quæ URINAM
constituunt) excernuntur.

Et quoniam hæc actio pari omnino modo fieri reperitur ac præcedens; hinc ejus Explicatio ibidem habetur.

Adeò ut *Respiratio* talis quasi *Voluntaria facta*, causa proxima sit expulsionis *Fæcum Intestinalium & Urinae*. Quod utrumque confirmat singulorum fæciuum, in ergastulo materno *ante partum* extinctorum, inspectio; nullum ibi meconium, nec *urinam*, nisi per urachum depositam, unquam detegens. Denique eorum, qui modo *respiratione usi* fuere, dejectio fæce utriusque, superatis sphinx,

sphincteribus; quin & in ipso utero. Unde simul patet obstetricum ratio, ex qua fætum in utero statim mortuum prænuntiant, viso meconio, vel *Aquis* aliter pellucidis, nunc ex nigro flavis profluentibus: Quamvis hinc sœpè nimis crudelem cutam exerceant circa tenellorum infantium ac miserarum mulierum corpora; utpotè, viles fordidæque ingenio plerumque, erronea ac vulgari opinione nimis confidentes. Ut exempla audivi.

In quantum ergò hæ binæ Excretiones huc referuntur, non im-
merito inter Actionum Animalium exercitationes annumerari possunt.

Quum verò homo, exercendis continuo actionibus, parem se gerere nequeat; sed tandem *consumptione* & *penuria* subtilissimi spiritus, longo tantum molimine elaborandi, vascula tenuissima medullæ in Cerebro, nervosaque omnia, accuratè repletis ac distendentis in perfecta Vigilia, deficiat: hinc *Automatico* & *Spontaneo Impulso*, in SOMNUM & quietem fertur.

Quum nunc ex tota Somni historia, omnibusque phænomenis, certè observatis atque intellectis, constat, eo in corpore posito, adesse ibidem humorum vitalium circuitum validiorem, liberiorem, aquabiliorem: Ergò fiet inde tandem productio nova, & accumulatio spirituum animalium, in omnibus humoribus quoad materiem, & in vasis minimis quoad repletionem.

Videantur hic quæ H. BOERHAAVE, Professor & Promotor meus summoperè æstimandus honorandusque, ingeniosissimè profectò exaravit.

Videtur itaque Somnus conducere quām optimè conservatio-
ni hominis, mirabili hac ratione.

Ut autem hoc magis pateat, contemplini modo, quæso, ex hisce principiis, incomparabilis illius Naturæ observatoris *Gesneri* circa Ursos, miri experimenti capti rationem: Et facile patet, unde illud animalium genus, in locis polis propioribus, sœpè per quatuor vel quinque integros menses hyemales, vitam dormientem transfigat. Dum pinguedo vel oleum blandum sanguinis quo hoc tempore saginatum scatet, circulatione in somni initio aucta, in folliculis adiposis glandularumque depositum atque accumulatum, instar balsami ubique corpus condit, conservat, atque nutrit, qua proportione motus sanguinis, utcunque tandem hic imminutus, imò ferè nullus, illud exprimens atque abripiens cum reliquo sanguine, id consumit ac destruit; unde

DISPUTATIO INAUGURALIS

sensim sensimque, oleo hoc consumpto, (nec interim valde acri redditio; scilicet ob minimum motum caloremque internum, & frigus externum intensissimum) calore verno expergefacta haec animalia, *macra* atque *avida* resurgunt. Idem ferè in *Hirundibus* fieri, visum fuit. Et forte in *Ciconiis*, *Ranis*, aliisque animalibus, insectisque, hyemali tempore *latentibus*, simile quid obtinere, non improbabile duco.

Unde cognoscitur quare Creator hominem, quo origini propiorem adhuc, eo in somnum proniorem fecerit? adeò ut fetus nondum natus, exceptis tantum paucis temporibus, semper dormiat.

Quid ergò Somnus faciat boni in corpore, & quando ei concedendum? ex hisce respondere potest.

Obscitationes illæ; totiusque corporis *pandiculationes*, statim post Somnum, quid efficiant? scilicet, *equabilem* & *acceleratam* distributionem omnium humorum per totum corpus; adeoque hæ iterum organa sensuum & musculos *muneribus* suis optimè adaptant,

Sunt sanè hæc omnia, admirandæ sapientiæ Divinæ, in nobis positæ, luculentissima signa! quæ in cunctis hic tam justum tenet æquilibrium.

Verum præter hæcce omnia oportebat ut homo se **CONTRA INJURIAS EXTERNAS** defendere, easque a se arcere posset; quoniam alioqui *maxima* inde damna, & *inevitabilia* quidem, corpori acciderent. Quæ res sanè contemplationem pulcherrimam præberet, nisi dissuaderet hanc mihi substituta brevitas. Huc enim refertur ratio cur homo, furibundo animali forte in sylvis occurrens, illud metuens, in fugam eat, vel irato odio excitatus, in audacem vindictam se *totum* componat? Dum sc. musculi voluntati *obnoxii*, sensibus iis & perceptionibus mirificè & naturaliter quasi *alligati*, a sensorio communi, hac ratione vel illa, in nervis suis determinantur. Unde sic homo maximè iratus, *omnes* intendat nervos ut illud objectum proximum suæ iræ removeat. Hinc lingua statim parata est in *jurgia*, oculi ut quasi turgendo & extuberando *minentur*, dentes ut *dilacerent*, pugni ut *verberent*, pedes ut *calcirent*, ungues ut *discerpent*: Adeò ut, si hanc potestatem *a natura* ipsi datam, male dirigendo, in proximum

ximum referret, neglectis ratione, virtute, legibusque divinis atque humanis, ipse rueret in omnino explendum affectum, cum alterius exitio. Item quomodo a subito & improviso excitato metu oriatur *Clamor* magnus? ex eadem sc. caussa.

Estne & hic omittendum, *Corpori nostro quantum cautum est IN SENSIBUS EXTERNIS & PER EOSDEM?*

Oculorum palpebrae, si modò vel minimum accedit nocituri pulveris, sumi, animalculorum volitantium, incautarum, lascivientium, vel iratarum manuum, unico ictu, facta quadam *Convulsione*, oculos defendunt. *Nares*, in locis fætidis, vel exhalationibus acribus, exspirant lentè aërem, glottide ferè clausa; ut sic pro tempore præcaveatur damnosí aëris ingressus, & nocentium particularum applicatio. Ipsa *Lingua* abhorrebit ac detestabitur alcalina, & ipsa alcalefcentia ferè quæcunque, si alcali prædominatur, vel putridum quid, in corpore; acida grata feret. Maximè acria *ori* ingesta, damnoſa corpori, fauces non deglument, sed *affluente saliva* diluta, statim potius homo exspuet. *Aures* stridulum altissimum & fortissimum illum sonum nequam ferent; quatenus nervos auditorios nimis irritet, iisque molestiam creët. Suavi harmonico concentuque melodico, demulcebuntur & mens excitabitur gratissimè. Denique subjecta *Tactus* asperrima atque acria, non diu perfert quisquam. (Repetenda & hic loci, quæ de Dolore diximus.)

Quæ quidem OMNIA hic revoco ad EXPERIENTIAM quandam, cuius *colligenda facultatem*, homo, a primo fortè, quo mens ipsi unita est, momento, jam acceperit, a puerili ætate illi utcunque jàm *propriam* factam; qua hæcce mala *evitare* vel *avertere* valeat. Cui proinde ultimò adjungo, ex eadem ferè caussa natam MENTIS CONSUETUDINEM, postea etiàm quasi (ut sic dicam) *naturalem* factam; quæ præcipue in *sensibus externis* reperitur; atque hic meretur inspici.

Putasne sic objecta *Visibilia* propriè nobis repræsentari, ut vulgo judicamus? sanè tota oculi fabrica, & physica ratio dioptrica, docent, omnia nos inversa ratione afficere; quam tamen omnia nos recta videre arbitramur. An putas, quum nil Odore percipis, nullas etiam particulas odoratas inspirando ad nervos olfactorios deferri, eosque afficere? rem aliter satis docuere

cuere canes odoris equi, confirmatam totius rerum naturæ observatione, in corporibus exhalantibus, inque odorantibus assueta ferè quæcunque. Huic etiam consuetudini puto non absque ratione tribui posse rationem, qui sit ut *Sonum*, qui continuò in Aure excitari videtur, a pulsu tot innumerarum ibi arteriolarum, adulti non audiamus? Ita Saliva nostra nullum videtur habere *Saporem*; dum in ore alterius varium sæpè saporem habebit. Quin etiam non multò minus res *tactiles*, quæ nulla attentione manibus occurrunt, nervos ibi afficere videntur, quām ubi mens eas ad tangendum impellit.

Est hæc Consuetudo tamen *tanti boni* in nobis, ut ea, quæ ex strutura Organi necessario requirebantur ex instituto Divino & aliter officerent, nunc, non modo non animadvertiscantur, sed etiam quam minimè impediant, ne distinctè jàm percipientur, quæ percipi quidèm debent.

Reliquas actiones corporis nostri *animales* si hîc exutere vellemus, opus ferè esset infinitum. Ità quis docuit hominem attentè auscultantem tam accuratè membranam tympani tendere in aure sua? Et contra laxam eam tenere quum magnum sonum audit? oculos & caput rotare tam exquisitè? Quis canem subito a domino vocatum, aures tam artificiosè erigere, inque appellen-tem sonum eas convertere? Sed quum cætera hæcce magis plerunque spectant corpus *sanissimum*, inque eo requiruntur, nec ullum natum vitium ponunt vel impedimentum, sed ex ipsa profluunt organorum & corporis universi fabrica requisita; ideo hæc res nobis explicanda potius videtur iis qui, ex data fabrica & constructione corporis nostri *sani*, actiones partium eruunt; vel referenda ad Caput de *avertendis injuriis externis*.

Restat adhuc unum hîc afferre, scilicet, quatenus in suo quisque genere habeat facultatem & mirabilem illum affectum, vel instinctum naturalem, sopyñv (*Antiquis*,) EXCITANDÆ PROLIS, & PROPAGATÆ PROLIS CONSERVANDÆ. Verum hæc res quia magis *Generalis* est in effectu, nec ullum etiam natum vitium ponit adeò, vel impedimentum, cui occurrat in uno eodemque corpore: de hac tantum vel monuisse hîc sufficiet.

Omnia ferè & singula, huc usque tradita atque explicata; eadem

eadem INCÆTERIS OMNIBUS ANIMALIBUS ratione, se habent: nec enim minus ea *hoc Naturali instinctu feruntur*; Ut neque homo hac dote Brutis cæteris præstantior ferè sit; sunt enim tantummodo effectus a *Vita ipsa Animali*, ut puto, dependentes, cumque eadem desinentes. Quam rem, pulcherri-
mam sane, si exemplis illustrare vellem, tām ex Scriptoribus Historiæ Naturalis, quām ex observationibus quotidianis, de-
sumptis, integer liber non sufficeret. Oportet autem quemlibet medicum curiosum sibique satisfacturum, & hæcce cognovisse;
quia sæpenumerò occasionem præbent, occultissimorum morbo-
rum *caussas & medelas* intelligere.

Nec sanè sunt hæc tām abdita hīc mysteria, hujus illius alto ac perspicacissimo semper ingenio revelata; dummodo *medicus*, *prudens* aliorum cladibus, suisque simul *sapiens* observatis, *Na-
tura ducentis imitatorem* se gerit. Qua quidem conditione, qui-
libet sæpè sibi optimus potest esse medicus.

Profecto, si usquam itaque, hīc jacet summa illa *mirabilitas*, qua Infinito Creatori, *Corpus humanum* vita constanti *ut cunque* frui, placuit.

Quid ergo TIBI videtur animalibus cæteris, licet vel sum-
mè brutis, tām impie *Animam* neganti? Estne proindè *Ani-
ma* in homine diversa penitus ab *Animo*, maximèque distin-
guenda?

Sic puto satisfactum esse quodammodo primæ hujus Dissertationis parti.

Sequitur Altera pars, demonstratura, quomodo AUTOMATICO IPSIUS CORPORIS MOTU, ipsum *Corpus*, non adjuvante mente, morbos debellet atque expellat. AUTOMA-
TON-voco corporeum instrumentum vel machinam, aptam motus exercere per suam ipsam compagem, non accidente alia caussa. Ad-
eò ut Automaticus motus hīc sit, qui fit ex ipsa structura de-
terminata *Corporis*.

At verò, quia in parte prima multa passim *Hujus* jam expli-
cata sunt, vel indè facile deduci possunt, atque scopus noster in hisce jam satis videtur perspectus haberi, & moles Dissertationis nimis excrescere inciperet; In hac parte tantum recensebo quasdam LEGES, quas *Corpus* in hisce observat, qua con-
struētum

DISPUTATIO INAUGURALIS

*structum ex solidis fluidisque mechanicè motis, a se mutuo in me-
tu inseparabilibus.*

Si usquam PERPETUUM MOBILE in rerum natura, illud in Corde, ut hominis, sic Animalium, nec alibi invenitur. Quod quidem considero ut machinam, quæ motum, quem a causa quadam acquisivit, eadem iterum vi, suo moventi reddit. Hinc VITÆ PERENNITAS CORPORI NATURALIS; Imò ejus ferè desinentis, integra sæpè restitutio: (ut in animi deliquio, passionibus hystericas, hypochondriacis, &c.)

Aucta itaque vi hujus causæ moventis, vel imminuta, eadem proportione augebitur, vel imminuetur vis vitæ.

Verum hinc pendet *major*, vel *minor*, solidorum in liquida, & liquidorum in solida, actio, & effectus inde sequentes, variis ac innumerabiles, cæteris paribus positis.

Causa vero majoris hic motus in corpore est, *Cor irritatum*, ab Animi affectibus, a particulis in sanguine acribus, gravioribus, compactioribus, vel ab obstructo quocunque loco in corpore.

Sed hujus proximam causam, ipse ille Motus in Corpore tandem mirabiliter debilitat, destruit. (modo sit causa vitæ major, ut hic ubique consideravimus.)

In Actionibus autem naturalibus dictis.

Ut Ciborum qualitas & copia in infantibus ab ipsa Natura, dentium constitutione indicatur, & robore Corporis; Eodem ferè modò in ætate omni proiectiori.

Ventriculus & intestina, noxio quodam affecta, mirè se liberant, *vomitus*, *diarrhœa*, *ruentibus*, *flatibus* &c. (simili fit modo in multis aliis corporis locis.)

Vitia primæ coctionis, corriguntur in secunda.

Applicationes humorum ad Vasa, ubique in Corpore sunt, ut eorum *Copia*, *densitates*, & *motus*.

Secretiones sunt *ut Applicationes*.

Hinc secrezione una aucta, imminuitur altera; & contra.

Inutilia & damnosa excernuntur continuo, dum homo vivit.

Nutritio Corporis *sani*, est ut ejus destructio *naturalis* & inevitabilis; ex una eademque causa.

Quibus *Corpus* semel in hisce est assuefactum, licet alioqui minime convenientibus, ea postea fert sine multo magnove incommoda.

Præ-

Præter hæcce IN MULTIS EXTERNIS , Corpus varie afficientibus , illud varie ac mirè se diffendit.

Si hæcce , ut & priori parte comprehensa , OMNIA in morbis accuratissimè porpenduntur , cum observatis conferuntur , habita simul certa & clara cognitione corporis humani , & eorum quæ eo spe-ctant ; non minus forte utilia plurima , in cognoscendis & curan-dis morbis , quam pulcherrima , exinde deduci poterunt : ut cui-libet perito & attendenti facile liquet .

Hinc enim DIAGNOSES , PROGNOSES , INDICATI-O-NES , imo sæpè ipsa MEDICAMENTA , in multis morbis non admodum incertè liquere puto ; ut & CRISIUM ratio sæ-pè manifesta ; earumque moderandarum ERROR , nimis certè frequens .

Quamvis tamen hîc Medicina , defectu bonarum , quarum-cunque observationum , certa experientia , & cognitionis accura-tæ corporis nostri , multis sæpè prematur dubiis . Undè Medici cujuscunque est , perpetuò hanc sibi excolere omni studio ; ut veri nomen *Medici* mereatur .

Quæ certè tota & omnis fuit Hippocratica , qua tam divinè excellebat , Sapientia .

Est ergo Medicus nil nisi Naturæ Minister .

Hæc Ἀπαίδευτος ἔσται , καὶ γέ μαθῆσαι , τὰ δέοντα ποιέει . Α' nullo qui-dem edoceta , citraque disciplinam , ea quæ conveniunt facit . Est Me-dicina , nil nisi Ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων , πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλει-póntων . οὐ δὲ κάλλιστα τέτο πειθῶν , ὀρίσος ἵητρὸς . &c. Hipp. Eorum quæ exsuperant , substractio , eorum verò quæ deficiunt , additio . Qui ve-rò istud optimè facit , is optimus medicus existimandus est . &c.

Hac itaque duce eundum ; huic confidendum .

NATURÆ ERGO MORBORUM (SOLÆ) MEDICA-TRICES . Fuxta Hippocratem .

His enim deficientibus , ne quidem Apollo curabit morbos .

Sic puto ferè me fatisfecisse proposito ; atque ostendisse , qua ratione corpus Humanum , in vita & muneribus , persistet ; causas-que habeat in se , ex divino instituto quibus se liberet a quocon-que ferè noxio .

En igitur Medicinam reductam simul ad ultimam , quam pos-
test , simplicitatem .

Unde ejus ORTUS, PROGRESSUS, FATA, PERFE-
CTIO. Inter homines, non injucundè deduci possunt.

Circa vitia, facilis esto, precor, *B. Lector.* Defectus æquus
fupple. Auctorem respice; ipsique fave.

Quid, quæso, ab iis exspectari potest, qui primis tantum labiis hanc scientiam attigerunt? Magis intricata, inaudita, atque utilia, jure exspectantur ab illo, qui nocturna & diurna manu *Opus Hippocraticum* versavit, & solerti indefessoque labore illud digerens, in succum & sanguinem convertit.

Sufficient itaque hæc pro more Academico.

